

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Ad Neronem Cæsarem de clementia liber primus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

L. ANNÆI SENECAE

AD NERONEM CAESAREM

DE CLEMENTIA

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B



*H*ic libri scripti initio Principatus Neronis, quod ipse lib. i. cap. ix. palam indicat, cum scribit eum ingressum annum decimumnonum. Et verò digni Principe libri, ac materies: atque utinam legant, & mites simul magnosque animos ab ijs sumant! Exordium est à laude Neronis, nec falsà, ut initia illa erant. Deinde Cap. III. diuidit scriptum in tres partes, vnam Manuductionis; alteram, quæ naturam Clementiæ explicet; tertiam, quæ ad eam perducatur, & firmet. In primâ, primus totus liber absimitur: & præmittit de Vtilitate Clementiæ, & Regibus maximè conuenire. Decoram illis, quia capita reip. sunt, nos velut corpus & membra: atqui corpori quis non parcat & indulget? Necessariam etiam esse, in copiâ peccantium: quos si punis semper, solitudinem facis. Ab exemplo Deorum, qui nobis parcunt: item à Famâ, quia omnia Regum patent, & minima seuitia protrahitur. A Securitate. nam ita imperantes, tutiores: adiungit quæ facta quædam Augusti. Contrâ in Tyrannis, qui per seuitiam odia, pericula, exitia sibi gignunt. At Princeps igitur raro punit, & molliter aut modicè, animo atque exemplo parentum. Atque ea moderatio in scholis, militiâ, animalibus, seruis, cum fructu adhibetur. Etiam à Naturâ adhibetur, ab apum imagine: quarum Rex aculei est expers. Jam Princeps aut Suâ, aut Alienâ causâ punit, cum punit. Non debet rigidè in Suâ, quia ultionis solatio non eget in tam altâ fortunâ. Non in Alienâ, nisi (ad instar Legis) ut aut emendet, aut alios faciat meliores, siue tutiores. Hæc autem omnia magis raritas animaduersionum præstabit: quæ crebra vilescunt, & spernuntur. In clausulâ, detestatio Seuitiæ, & mala ab eâ atque exitia.

CAPVT PRIMVM.

D



*S*CRIBERE de clementiâ, Nero Cæsar, institui: ut quodammodò speculi vice fungerer, & te tibi ostenderem, peruenturum ad voluptatem maximam omnium. Quamuis enim rectè factorum verus fructus sit fecisse, nec vllum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit: iuuat tamen inspicere & circuire bonam conscientiam, tum immittere oculos in hanc immensam multitudinem, discordem, seditionem, impotentem, in perniciem alienam suamque pariter exultaturam, si hoc iugum fregerit, & ita loqui secum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbiter. qualem quisque sortem, statumque habeat, in manu meâ positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat: ex nostro responso lætitiæ causas, populi vrbesque concipiunt. Nulla pars vsquam, nisi volente propitioque me, florēt. Hæc tot millia gladiorum,

diorum, quæ⁷ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur: quas nationes funditus exscindi, quas⁸ transportari, quibus⁹ libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium¹⁰ circumdari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iurisdicção est. In hac tantâ facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, quæ sæpè tranquillissimis pectoribus quoque patientiam extorsit: non ipsa ostentandæ per terrores potentiæ dira, sed frequens magnis imperijs, gloria. Conditum, imò constrictum apud me ferrum est. summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratus est. Seueritatem abditam, clementiam¹¹ in procinctu habeo. sic me custodio,¹² tamquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim. Alterius ætate primâ motus sum, alterius ultimâ: alium dignitati donavi, alium humilitati: quoties nullam inueneram misericordiæ causam, mihi peperci. Hodie dijs immortalibus, si à me rationem repetant, annumerare genus humanum paratus sum. Potes hoc Cæsar prædicare audacter, omnium B quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam¹³ Reip. ereptum. Rarissimam laudem, & nulli adhuc Principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas ista tua singularis, ingratos aut malignos æstimatores nacta est. refertur tibi gratia. Nemo vnus homo, vni homini, tam carus vinctum quam fuit; quàm tu populo Romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus imposuisti. nemo iam diuum Augustum, nec Tiberij Cæsaris¹⁴ prima tempora loquitur: nemo quod te imitari velit exemplar extra te quærit. Principatus tuus¹⁵ ad gustum exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tem-

C O M M E N T A R I V S.



AP. I. I. TE TIBI OSTEND.] Nempe in clementiâ exprimendâ te exprimam, qui sic eam refers. Quod ad phrasim, simile in Horatio: - ne non & cantharus & lanx

Ostendant tibi te.

2. FRUCTVS FECISSE.] Sparsim hoc dogma toto libro IV. De Beneficijs: & est Stoicorum proprium, qui honesta non in mercedem colunt. Claudian.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè Fortunæ secunda nitet.

3. HOC IUGVM.] Imperij, quo continetur.

4. MEO ORE.] Fata cuiusque per me dispensantur. Diuina consulta aut decreta enuncio.

5. VOLENTE PROP.] Quasi de numine. nam ea formula vetus in precando, Vti volens propitiufque sis.

6. MILLIA GLADIOR.] Ad legiones & auxilia refer, quæ à Principe temperabantur.

*Lib. II. E. lect. cap. IX. 7. PAX MEA.] Toto enim orbe Romano tunc ferè pax, & conditi enses. De Prouid. cap. IV. Gentes, in quibus Romana pax definit. Galgalus apud Tacitum (in Agricola) sermonem hunc Romanum culpans: Atque vbi solitudinem faciunt, pacem appellant.

8. TRANSPORTARI.] Vt factum in Sugambis, Sueuis, alijsque gentibus.

9. LIBERTATEM.] Nam liberae gentes atque opida erant, id est suis legibus agentia, sine Præsidi Romano. quæ tamen maiestatem illam imperij respiciebant, & comiter colebant. At hac libertas sæpè pro meritis data, vel adempta: ut Rhodijs, Achæis, alijs.

10. CIRCUMDARI.] Diadema exprimit, siue tenuem albam fasciam, quæ caput cingebat.

11. IN PROCINCTV.] Promptam paratamque, ad procurrendum, ut solent milites iam accincti. Nam ab iis sumptum: Festus in Procincta classis.

12. TAMQVAM LEGIBVS.] Etsi Princeps supra leges. Plinius Panegyrico: Ipse te legibus subiecit, legibus, quas nemo Principi scripsit.

13. REIP. EREPTVM.] Meus, ademptum reipublicæ.

14. PRIMA TEMPORA.] Cum viuo Germanico adhuc, bonus laudatusque. nam postea flexit.

15. AD GVSTVM.] Possis explicare, ad gustum quem iam dediisti. volunt reliqua eius bonitatis, & ut sic dicam, saporis esse. At liber meus fidus, & plerique melioris notæ omnes, ad augustum, referunt. quod quibusdam retinere visum, quasi ad Augustum imperium Nero vocaretur: alienissimum Seneca, qui disertim scripsit, Neminem iam Augustum loqui: & vult sanè victos à Nerone omnes primores. Quid ergo est? quod olim diuinavi, & nunc sedet: ad anni gustum. Annum iam in Principatu Nero fuerat, laudatissime egerat. itaque non aliò nec ad alios, inquit, sed ad te vocaris, & ad vnius illius anni gustum. De anno verum esse, docet ipse infra cap. IX. Diuus Augustus, cum esset id ætatis, quod tu nunc es, duodeuicesimum egressus annum. Atqui decimo septimo, aut incunte octauo, Nero imperium cepit, si iam decimum octauum egressus, paullo plus anno in imperio, egit. Non sileo tamen in vno meo veteri scriptum, ad iugitatem exigitur: sicut in Gruteriano vno, ad iugum.

16. FICTA

A tempus sumpta. nemo enim potest personam diu ferre. ¹⁶ Ficta, citò in naturam suam recidunt: quibus veritas subest, quæque (vt ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus, cum incertum esset, quò se statim ¹⁷ nobilis indoles daret: iam vota publica ¹⁸ in tuto sunt. nec enim periculum est, ne te subita tui capiat obliuio. Facit quidem auidos nimia felicitas: nec tam temperatae cupiditates sunt vniquam, vt in eo quod contigit, desinant. gradus à magnis ad maiora fit: & spes improbissimas complectuntur, insperata assecuti. Omnibus tamen nunc ciuibus tuis & hæc confessio exprimitur, esse felices: & illa, nihil iam his accedere bonis posse, nisi vt perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confessionem, quâ nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens: ius supra omnem iniuriam positum. Obuersatur oculis ¹⁹ latissima forma Reip. cui ad summam libertatem nihil deest, nisi ²⁰ pereundi licentia. Præcipuè tamen equalis ad maximos inosque peruenit clementiæ tuæ admiratio. Cætera enim bona, pro portione fortunæ suæ, quisque

B sentit aut expectat, maiora minoraque: ex clementiâ omnes idem sperant. Nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, vt non stare in conspectu clementiam, paratam humanis erroribus, gaudeat.

Esse autem aliquos scio, qui clementiâ pessimum quemque putent sustineri: quoniam nisi post crimen superuacua est, & sola hæc virtus inter innocentes cessat. Sed primum omnium, sicut medicinæ apud ægros vsus, etiam apud sanos honor est: ita clementiam quamuis poenâ digni inuocent, etiam innocentes colunt. Deinde, habet clementia in personâ quoque innocentium locum: quia interim fortuna pro culpâ est: nec innocentia tantum clementia succurrit, sed sæpè virtuti: quoniam quidem conditione temporum incedunt quædam, quæ possint laudata puniri.

²¹ Adijce, quòd magna pars hominum est, quæ reuerti ad innocentiam possit. Sed non tamen vulgò ignoscere decet. nam vbi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhienda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam

C oportet, nec abscesam. nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in ²² partem humaniorem præponderet. Sed hæc ²³ suo loco melius dicentur:

nunc in tres partes omnem hanc materiam diuidam. Prima erit ²⁴ manumissionis: ²⁵ secunda quæ naturam clementiæ habitumque demonstret. nam cum sint vitia quædam virtutes imitantia, non possunt secerni, nisi signa quibus dignoscantur impresseris. ²⁶ tertio loco quæremus, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, & vsu suam faciat. Nullam verò ex omnibus virtutibus magis homini conuenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est: non solum ²⁷ inter nos, qui hominem

²⁸ sociale

16. FICTA CITÒ.] Cicero II. De Offic. Ficta omnia celeriter, tamquam flosculi, decidunt: nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.

17. NOBILIS IND.] Quæ ferè ad magna bona, aut magna mala, declinat.

18. IN TUTO SVNT.] Non nimis o Seneca: spes tua de alumno irrita. cuius primum quinquennium, te monitore & doctore, ita laudabile, vt Traiani celebre dictum fuerit, Procul distare cunctos Principes Neronis quinquennio: sed media & finis præcipitarunt.

19. LATISSIMA FORMA.] Alij lectissima, aut beatissima. Quidvis eorum bonum, capiendumq; de Principatu.

20. PEREVNDI LIC.] Quam Princeps hætenus coërcet & frenat, vt immodicâ libertate (id est licentiâ) non pereat.

CAP. II. 21. ADIICE QVOD.] Omnino hic defectus est. fuitq; disputatiuncula de Clementia

vsu & fructu: atque inter alios, quòd illa dum ignoscit, ad virtutem seruat, & multos ad eam ducit.

22. PARTEM HUMANIOR.] Clementiam.

CAP. III. 23. SVO LOCÒ.] Dixerat lib. II. qualis sit Clementia, & quos fines habeat (ita enim proponit, cap. III.) sed ea tota pars periit.

24. MANUMISSIONIS.] Corruptum. quid enim hic manumissio? Manuductionis olim volui, quod esset χειρουργία, εὐαγωγία, preparationis & inductionis: sed nec omnino placet. Prima sanè pars est tota in commendandâ Clementiâ, necessitate & fructu eius ostendendo: quod facit hoc libro I. Itaque ego non corruptelam solum, sed defectum arbitror, nec vnâ voce totum hoc expressum.

25. SECVNDÂ.] Quam orâitur lib. II. cap. III.

26. TERTIO LOCÒ.] Ea pars tota periit.

27. INTER NOS.] Stoicos.

28. So-

²⁸ sociale animal, ²⁹ communi bono genitum videri volumus: sed etiam ³⁰ inter illos, A qui hominem voluptati ³¹ donant, quorum omnia dicta factaque ad vtilitatem suam spectant. nam ³² si quietem petit & otium, hanc virtutem naturæ suæ nactus est, quæ pacem amat, & manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quàm regem aut Principem decet. Ita enim ³³ virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est. nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt; cuius curam ³⁴ excubare pro salute singulorum atque vniuersorum quotidie experiuntur; quo procedente, non tamquam malum aliquod aut noxium animal è cubili profilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum ac beneficium sidus certatim aduolant, obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubijs muniant: latera obiecti circumfusi que defendunt: incurrentibus periculis se opponunt. Non hic est sine ratione populis vrbibusque consensus, sic protegendis amandique reges, & se sua- B que iactandi, quocumque desiderauerit imperantis salus. Nec hæc ³⁵ vilitas sui est, aut dementia, pro vno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus vnā animam redimere, nonnumquam senis & inualidi. Quemadmodum totum corpus animo deseruit, & cum hoc tanto maius tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis, & in quā sede latitet incertus: tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt; illum hæc cutis munit, illius iussu iacemus, aut inquieti discurremus; cum ille imperauit, siue avarus dominus est, mare lucri causā scrutamur, siue ambitiosus, iam dudum ³⁶ dexteram flammis obieci- mus, aut voluntariè ³⁷ subsilui- mus: sic hæc immensa multitudo, ³⁸ vnius animæ circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur. Suam itaque incolumitatem amant, cum pro vno homine ³⁹ denas legiones in aciem deducunt, cum in primā fronte procurrunt, & aduersa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris sui signa vertantur. Ille est enim vinculum, per quod Resp. cohæret: ille ⁴⁰ spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil C ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperij subtrahatur.

— ⁴¹ Rege incolumi mens omnibus vna.

Amissa rupere fidem. —

* *Exilis*
Disserta-
tiuncula.

28. SOCIALE.] Nam eorum dogma: ὅτι ἐκ ἐν ἐρημίᾳ βιώσεται ὁ ἀπουδαῖος. κοινωνικὸς δὲ φύσει, καὶ πρακτικὸς: Non in solitudine viuet sapiens. natura enim socialis est, & actuosus.

29. COMMUNI.] Idem noster alibi: Homo in adiutorium mutuū generatus est. Lucanus, de Catone:

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

30. INTER ILLOS.] Epicuræos.

31. DONANT.] Mancipant, addicunt. Quidni? qui omnia eius causā fieri & suscipi volunt, sine alio vel alieno aspectu.

32. SI QUIETEM.] Vt nempe illi ipsi ab Epicuro.

33. VIRTUTES.] Inquinatum est, & depures è libris: Ita enim magnæ vires decori.

34. EXCUBARE PRO.] Plutarchus, Ad Principem indoctum: Καὶ ἔτι δὲ ἐστὶν ὁ φόβος τῶ ἀρχοντος φοβῶντο τὸν ἀνδραγαθὸς καὶ οὐκ ἀγεννὴς ὑπὲρ τῆς ἀρχοσύνης δεινῶν, μὴ λάθῃσι βλαβέντες. ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται ἐν αὐλῇ, τῆρος ἀκούσαντες κρατερὸ- φρονος, οὐχ ὑπὲρ αὐτῶν, ἀλλ' ὑπὲρ τῆ φυλαττομέ- νων: Ille est benignus & generosus Principis metus, timere subditis ne lædantur ignaro ipso. Sicut canes in vestibulo sedulò excubant & laborant, cum feram trucem audierint, non pro se, sed pro ouibus, quas custodiunt. Plura in hanc sententiam

Hic ego, conuentu & auditorio procerum hic Louanij, cum PRINCIPES NN. ALBERTVS & ISABELLA AVSTRIACI imperium auspicarentur, & subito iussus dicere, hunc Seneca locum in rem præsentem aptassem & dilatassem.

35. VILITAS SVI.] Contemptus & despicientia. Noster epist. cxxii. In nullo deprehendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem. Curtius lib. v. Tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui.

36. DEXTERAM FLAMMIS.] Vt Mucius.

37. SUBSILVIMVS.] Vt Curtius. Sed an non ille magis desiluit, vel insiluit? Itaque mallem, sub solum iuimus. Nisi tectius vlcus, & fuit, aut voluptarius. etsi cetera non emendo.

38. VNIVS ANIMÆ.] Lucanus, de Cesare:

Cum tot in hac animā populorum vitæ salutisq; Pendeat.

Tacitus: Vnum esse reip. corpus, atque vnius animo regendum.

CAP. IV. 39. DENAS LEG.] Imò vel tricenæ, si opus. & tot habuerunt.

40. SPIRITVS VITALIS.] Curtius lib. ix. de Alexandro ægroto: Armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes vnius spiritu viuere.

41. REGE INCOL.] E Virgilio sumpta, de apibus.

42. HIC

A Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamen diu ab isto periculo aberit ⁴² hic populus, quamdiu sciet ferre franos: quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, haec vnitas & hic maximi imperij contextus in partes multas dissiliet: idemque huic vrbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit. Ideo Principes regesque, & quocumque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra priuatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt: sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se Resp. conuertit. ⁴³ Olim enim ita se induit Reip. Caesar, ut diduci alterum non possit, sine vtriusque perniciē. nam ut illi viribus opus est, ita & huic capite. Longius videtur recessisse à proposito oratio mea: at mehercules rem ipsam premit. Nam si, quod adhuc colligitur, animus Reip. tu es, illa corpus tuum: vides, ut puto, quam necessaria clementia sit. tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parendum itaque est etiam improbandis ciuibus, non aliter quam membris languentibus: & si quando ⁴⁴ misso sanguine opus est, sustinendum est, ne ultra quam necesse sit incidas. Est ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore materia apparet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas? Principum sauitia, bellum est. Cum autem virtutibus inter se sit concordia, nec vlla altera ⁴⁵ melior aut honestior sit: quaedam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum infra quem nihil est. Quid enim maius, aut fortius, quam malam fortunam retundere? Haec tamen magnanimitas in bona fortunâ latiore locum habet, meliusque ⁴⁶ in tribunali, quam ⁴⁷ in plano conspicitur. Clementia in quamcumque domum peruenit, eam felicem tranquillamque praestabit: sed in regia quò rarior, eò mirabilior. Quid enim est mirabilius, quam eum cuius irae nihil obstat, cuius grauiori sententiæ ipsi qui pereunt assentiuntur, quem nemo ⁴⁸ interrogaturus est, imò si vehementius excaudit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum iniicere, & potestate suâ in melius placidiusque vti? hoc ipsum cogitantem: Occidere contra legem nemo non potest: seruare nemo, praeter me. Magnam fortunam magnus animus decet. qui nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque ⁴⁹ infra terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, & iniurias atque offensiones supernè despiciere. Muliebri est, furere in irâ: ferarum verò, nec generosarum quidem, ⁵⁰ præmordere & vrgere proiectos. Elephantēs ⁵¹ leonesque transeunt, quæ impulerunt: ignobilis bestiae pertinacia est. Non decet regem saeva, & inexorabilis ira: non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat: at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. Seruare, proprium est excellentis fortunæ: quæ numquam magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse quod dijs, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum asse-

rens

- D** 42. HIC POPVLVS.] *Superfluunt ea voces.*
 43. OLIM ENIM.] *A Iulio Cesare, vel potius Augusto: qui Principatū inseruit & miscuit cū libertate.*
 CAP. V. 44. MISSE SANGVINE.] *Tali allegoriâ Lucanus vsus:*
 Sulla quoque immensis accessit cladibus vltor.
 Ille, quod exiguum restabat sanguinis vrbi,
 Hausit, dumque nimis iam putrida membra recidit,
 Excessit medicina modum: nimiumque secuta est,
 Quæ morbi duxere, manus.
 45. MELIOR AVT.] *Ad Stoicum illud dogma, Virtutes inter se pares esse.*
 46. IN TRIBVNALI.] *In edito. quasi dicat, in homine alto & exposito.*

47. IN PLANO.] *In loco ac viro humili.*
 48. INTERROGATURVS.] *Cur ita fecerit? nedum ut accusaturus.*
 49. INFRA TERRAM.] *Estne aliquid infra terram? Fuerit potius, in terram: vel infra, ad terram.*
 50. PRÆMORDERE.] *Imò remordere, vel permordere.*
 51. LEONESQUE.] *Quintilianus Declamator: Ferè mehercules generosiores iacentestranseunt. Claudianus ad Principem:*
 Obuia prosternas, prostrataque, more leonum,
 Despicias.
Poëta alij: sed pulcherrimè Statius,
 Vt leo Massyli cum lux stetit obuia ferri,
 Tunc iras, tunc arma citat. si decider hostis,
 Ire super satis est, vitamque relinquere victo.
 52. IN

rens Princeps, alios ex ciuibus suis, quia viles bonique sunt, libens videat, alios ⁵² in nu- A
 V I. merum relinquat: quosdam esse gaudeat, quosdam patiat. ⁵³ Cogitate in hac ci-
 uitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quotiens
 aliquid obstitit, quod cursum eius velut torrentis rapidi moraretur: in qua tribus eodem
 tempore theatris ⁵⁴ viae postulantur: in qua consumitur, quidquid ⁵⁵ terris omnibus ara-
 tur: quanta solitudo & vastitas futura sit, si nihil relinquitur, nisi quod iudex seuerus ab-
 soluerit. Quotus quisque ex ⁵⁶ quaestoribus est, qui non ⁵⁷ ea ipsa lege teneatur, qua qua-
 rit? Quotus quisque accusator vacat culpa? & nescio, an nemo ad dandam veniam dif-
 ficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit. Peccauimus omnes: alij graua, alij le-
 uiora, alij ex destinato, alij forte impuls, aut aliena nequitia ablati: alij in bonis consilijs
 parum fortiter stetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. Nec ⁵⁸ delin-
 quimus tantum, sed usque ad extremum aui delinquemus. Etiam si quis tam bene pur-
 gavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen
 VII. peccando peruenerit. Quoniam deorum feci mentionem, optimè hoc exemplum B
 Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse ciuibus, quales sibi deos velit.
 Expediit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expediit usque ad vl-
 timam infesta perniciem? Ecquis regum erit tutus, cuius non membra ⁵⁹ aruspices col-
 ligant? Quod si dii placabiles, & aequi, delicta potentium non statim fulminibus perse-
 quuntur: quanto aequius est, hominem hominibus praepositum, miti animo exercere
 imperium, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno & pu-
 ro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiantur, & ignes hinc atque illinc micant?
 Atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quam sereni caeli & nitentis. Cru-
 dele regnum, turbidum, tenebrisque obscurum est, inter tremantes & ad repentinum
 sonitum expauescentes, nec eo quidem qui omnia turbat inconcusso. Facilius priuatis
 ignoscitur, pertinaciter se vindicantibus. possunt enim laedi, dolorque eorum ab iniuria
 venit. C

⁵² IN NUMERVM.] Sine nomine, siue magno usu:
 tantum ut turbam faciant. Lucanus:

In numerum pars magna perit, rapuitque
 cruentus

Victor ab ignota vultus ceruice recisos.

Horatius: Nos numerus sumus.

CAP. VI. ⁵³ COGITATE.] Nonne ad Nero-
 nem omnis sermo? ergo, Cogita tu.

⁵⁴ VIAE POSTUL.] Non capio, nec sincerum ha-
 beo. Tria sane theatra Roma, Balbi, Marcelli, Pompeij:
 sed quid est in his vias postulare? An forte, nec tria
 theatra sufficere capiendo populo, & vias vicisq. de-
 posci, ut in his etiam sint ludi? Ita enim vicatim ali-
 quotiens praeitos eos legimus. An fuit, mimi postu-
 lantur? Alius melius, cui Deus inseret.

⁵⁵ TERRIS OMNIBVS.] Mira, si demittis in
 animum: & una numerum copiamq. Romani populi.
 Ego deduxi, & docui in Magnitud. Rom. lib. III.
 cap. III.

⁵⁶ QVAESTORIBVS.] Siue Quaestoribus, qui
 iudicio praesunt.

⁵⁷ EAIPSA.] Scripti consensu, ex ipsa. forte,
 & ipsa.

⁵⁸ DELINQVIMVS.] Puto, delinquemus.

CAP. VII. ⁵⁹ ARVSPICES COLLIGANT?]
 Id est, qui non fulmine feriantur? Nam talium mem-
 bra, si dissecta (ut interdum) aruspices colligebant,
 atque ipsas reliquias aut vestigia fulminis, & ibidem
 sepulcro condebant. transferre enim nefas. Eum lo-
 cum deinde sepiebant cespitem, sacrum & inaccessum ha-
 bebant: & quia bidente hostia sacrificabant, dicebant
 Bidental. Lucanus I.

— dispersos fulminis ignes

Colligit, & terrae mesto cum murmure condit.

Sidonius Carmine IX.

Nec quae fulmine Thuscus expiato,

Septum numina quaerit ad bidental.

Scholiaestes Iuuenalis, in illud:

Atq. aliquis senior, qui publica fulgura condit,
 Condi fulgura dicuntur, quotiescumque Ponti-
 fex dispersos ignes in vnum redigit, & quadam
 tacita ignorata prece locum aggestione consecrat.
 Nota hic & Aggestione. ideoq. in Apuleio I. Flo-
 rido: Colliculus sepimine consecratus. Collem siue
 aggestum, & Sepimen notat. Cur & istud? quia loca
 eiusmodi inaccessa, & calcare nefas. Plutarchus Pyr-
 rho somnium refert, Spartam obsidentis, qui visus
 fulminibus iactis petere urbem, atque eam incen-
 dere. Narrat amicis, interpretatur letum in euen-
 tum, assentiuntur: excepto Lysimacho, qui vere-
 ri se ait, μη καθάπερ τὰ βαλλόμενα τοῖς κεραυνοῖς
 ἀνέμματα μὲν χωρία, καὶ τὰς Πύρρῳ προσημῶναι
 τὸ θεῖον ἀνείσοδον εἶσεσθαι τὴν πόλιν: ne sicut loca
 fulgurita manent inaccessa, ita Deus Pyrrho si-
 gnificarit, non intrandam ei urbem. Sacra igitur ea
 loca. & Lucanus VIII.

Inclusum Tusco venerantur cespitem fulmen.

Artemidorus II. cap. VIII. Οὐδὲς γὰρ κεραυνῶς θεὸς
 ἀτιμὸς ἐστίν. ὁ θεὸς γὰρ καὶ ὡς θεὸς τιμᾶται: Nemo
 enim fulguritus infamis est. itaque ut Deus coli-
 tur. Adde Festum in Bidental, Occisum, Fulguri-
 tum. Quintilianum Declamat. CCLXXIV. Persum
 Sat. II. & ibi Scholiastem, Pollucem IX. ubi hoc Bi-
 dental ἐνδύσια vocat, explicatq.

A venit. timent præterea contemptum : & non retulisse lædentibus ⁶⁰ gratiam, infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio in facili est, is omiffa eâ, certam laudem mansuetudinis consequitur. Humili loco positus ⁶¹ exerere manum, litigare, in rixam procurrare, ac morem iræ suæ gerere, liberius est : leues inter paria ictus sunt : regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia, non ex maiestate est. Graue putas, eripi lo- VIII.
quendi arbitrium regibus, quod humillimi habent? Ista, inquis, seruitus est, non imperium. Quid tu, non experiris istud nobis esse, ⁶² non tibi seruitutem? Alia condicio est eorum qui in turbâ, quam non excedunt, latent : quorum & virtutes ut appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. ⁶³ Vestra facta dictaque rumor excipit : & ideo nullis magis cauendum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent? Possum in qualibet parte urbis solus incedere, sine timore, quamuis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius : tibi in ⁶⁴ tuâ pace ⁶⁵ armato viuendum est. Aberrare à fortunâ tuâ non potest : obsidet te, & quocumque descendis, magno apparatu sequitur. Et hæc summa magnitudinis seruitus est, non posse fieri minorem; sed cum diis tibi communis ista necessitas est. nam illos quoque cælum ⁶⁶ alligatos tenet : nec magis illis descendere, datum est, quam ⁶⁷ tibi tutum. Fastigio tuo affixus es. Nostros motus pauci sentiunt. prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum sine sensu publico licet : tibi non magis, quam Soli, latere contingit. Multa ⁶⁸ contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt. Prodire te putas? ⁶⁹ oriris : loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes, excipiant. irasci non potes, nisi ut omnia tremant. sic neminem potes affligere, nisi ut quidquid circa fuerit, quatitur. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; sic animaduersiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent : non sine causâ. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturum sit, cogitatur in eo, qui omnia potest. Adice nunc, quod priuatos homines ad accipiendas iniurias opportuniore, ⁷⁰ acceptarum patientia facit : regibus certior est ex mansuetudine securitas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimat, omnium irritat : voluntas oportet antè sœuendi, quam causa deficiat. Alioquin quemadmodum præcisæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorum genera ut densiora surgant, reciduntur : ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. Parentes enim liberi que eorum, qui interfecti sunt, & propinqui, & amici, in locum singulorum succedunt. Hoe quam verum sit, admonere te exemplo ⁷¹ domestico IX. volo. Diuus Augustus fuit mitis Princeps, si quis illum à ⁷² principatu suo æstimare inci-

60. GRATIAM.] In malam partem, talionem.

61. EXERERE.] Omnes scripti, exercere. Si primum illud tenes; est intendere manum, quod Tacitus dixit, & in iurgio conuicioq; solet. Sin alterum, valebit iactare manum, huc illuc ferre, quod item in calore iurgandi.

D CAP. VIII. 62. NON TIBI SERV.] Meo alijsq; priscis non est negatio, & produnt : istud nobis esse, tibi seruitutem. Rectè. Reuera enim imperium, seruitus. Senecam Consol. ad Polyb. cap. XXVI. vide. Adde hoc Sallustij : In maximâ fortunâ minima licentia est.

63. VESTRA FACTA.] Peto, ad Liniam:

Ad te oculos auresque trahis. tua facta notamus,

Nec vox missa potest Principis ore tegi.

64. TVA PACE.] Quam orbi & nobis præstas.

65. ARMATO.] Quia & in vrbe cohortes, & satellitium habes.

66. ALLIGATOS.] Ad sidera refer, quæ Stoici deos censent.

67. TIBI TUTVM.] Omiserant alijs hoc tutum:

at libri meliores reposcunt. Sententia est. Dij non descendunt, per naturam : non tu, ob securitatem. Noster De Breuit. vite, cap. IV. Cupiant interim (Principes) ex illo fastigio suo, si tutò liceat, descendere. Solonis vox : Καλὸν μὲν εἶναι τὴν τιμὴν ἀλλ' ὀπίσθεσθαι ἐκ ἐχέειν : Bellam quidem arcem esse Principatum, sed descensum non habere.

68. CONTRA TE.] Ex aduerso. radij lucis, sed & oculorum omnium, incurrunt. Possit &, circa te. Claudianus:

— nam lux altissima fati

Occultum nihil esse finit, latebrasq; per omnes Intrat, & angustos explorat fama recessus.

69. ORIRIS.] Instar Solis, qui videt omnia, & videtur.

70. ACCEPTARVM PAT.] Mimi dicto: Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

CAP. IX. 71. DOMESTICO.] Quia per matrem Augustum tangis.

72. PRINCIPATV SVO.] Cum solus iam rerum arbiter.

R

73. IN

incipiat: ⁷³ in communi quidem Rep. ⁷⁴ gladium mouit. Cum hoc ætatis esset, quod tu A nunc es, duodeuicesimum egressus annum, iam pugiones ⁷⁵ in sinu amicorum abscon- derat, iam insidiis M. Antonij consulis latus petierat, iam fuerat collega proscriptionis: sed cum annum ⁷⁶ quadragesimum transisset, & ⁷⁷ in Galliâ moraretur, delatum est ad eum indicium, ⁷⁸ L. Cinnam, stolidi ingenij virum, insidias ei struere. Dictum est & vbi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. vnus ex consciis deferebat. Consti- tuit se ab eo vindicare: consilium amicorum aduocari iussit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adolescentē nobilem, hoc detracto, integrum, Cn. ⁷⁹ Pompeij nepotem dam- nandum. Iam vnum hominem occidere non poterat: ⁸⁰ cum M. Antonio proscriptionis edictum inter cœnam dictarat. Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se contrarias: Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me sollicito? Ergo non dabit pœnas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot naualibus, tot pedestribus præliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere con- stituit, sed ⁸¹ immolare? nam sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposi- to, maiore multo voce, sibi, quàm Cinnæ, irascebatur: Quid viuis, si perire te tam mul- torum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adole- scentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si vt ego non peream, ⁸² tam multa perdenda sunt. Interpellauit tandem illum ⁸³ Liuiæ vxor: &, Ad- mittis, inquit, muliebri consilium? Fac quod medici solent: qui vbi vñitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: ⁸⁴ Saluidienum Lepidus secutus est, Lepidum Muræna, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceam, quos ⁸⁵ tantum ausos pudet: nunc tenta quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cin- næ. deprehensus est: iam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest. Gaius sibi, quod aduocatum ⁸⁶ inuenerat, vxori quidem gratias egit: renuntiari autem extemplò amicis, quos in consilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad se accersit: dimissis- que omnibus è cubiculo, cum alteram Cinnæ poni cathedram iussisset: Hoc, inquit, pri- mum à te peto, ne me loquentem interpelles, ⁸⁷ ne meo sermone medio proclames: da- bitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in ⁸⁸ hostium castris inuenis- sem, non factum tantum mihi inimicum, ⁸⁹ sed natum, seruauì, patrimonium tibi om- ne con-

73. IN COMMUNI.] In triumphatu nempe, cum diuisa in tres Respublica.

74. GLADIUM MOUIT.] Hac verba cur loco mouerunt? cum libris teneo, & explico: In suo Principatu mitis fuit, & ferrum conditum adstri- ctumque habuit: in communi, mouit & exseruit.

75. IN SINU.] Sabornauerat amicos, cum oc- culis in sinu gladiis. Spectat ad illa cum Anto- nio disidia, atque adeò insidias & submissos per- cussores. Vide Appianum v. Ciuil. In sinu autem, togæ scilicet, vel etiam sub alis: quia optime ibi celabantur. Inde Sinum excutere, in Scrutinis.

76. QUADRAGESIMUM.] Hoc in Galliâ conti- gisse vult Seneca: quod profectum reperio anno Urbis DCCXXXVIII. Itaque benè dicit transisse. nam ipse natus anno DCXC. atque ita agebat nunc annum qua- dragesimum octauum.

77. IN GALLIA.] Dio dissentit, qui hoc factum confert in annum Urbis DCCLVII. & diffuse narrat libro LV. Atquin Augustus tunc in Vrbe, non in Gal- liâ; nec quadragesimum modò, sed sexagesimum an- num excedebat. Itaque dissensus hic in loco & tempo- re, non tamen in re, notetur.

78. L. CINNAM.] Dioni est Cn. Cinna.

79. POMPEII NEPOTEM.] Ex filiâ, ait Dio. Que

nempe nupta Cornelio Fausso, Sulle Dictatoris filio, vt in Appiano habes, & Hirrio sub finem libri de Bel- lo Africo. Ex eâ igitur coniunctione, hic Cornelius Cinna genitus, aucto Pompeio.

80. CUM M. ANTONIO.] Vellem, qui M.

81. IMMOLARE.] Quod fœdus, quasi victimam aut piaculum.

82. TAM MVLTÀ.] Magis, multi, & mox, per- dendi.

83. LIVIA Vxor.] Non ex fictione, sed ex facto: neque aliter Dio narrat, & consimilem orationem fœ- minæ adscribit.

84. SALVIDIENVM.] De his omnibus Suetonius Aug. cap. XIX. atque ibi interpretes.

85. TANTVM AVSOS.] Viles nempe & infimæ fortis homines (nam nec eorum conspiratione caruit, vt ait Suetonius) quos pudor sit tantam rem ausos esse. Possis & capere: Qui ausi cogitare & velle, nec ultra. Sed prius præfero.

86. INVENERAT.] Vltro oblatum. nam alios roga- ri iusserat.

87. NE MEO.] Malim, neu meo: etsi vox meo abest aliquot libris: nec requiram.

88. HOSTIVM CASTRIS.] An Bruti & Cassij? opinor. Nam pater periit in Africâ, post prælium ad Thapsum.

89. SED NATVM.] Ex Pompeij filiâ, vt dixi.

90. TAM

A ne concessi. Hodie tam felix es, & ⁹⁰ tam diues, ut victo victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Cum sic de te meruerim, occidere me constituiisti. Cum ad hanc vocem exclamasset, procul hanc ab se abesse deinentiam: Non praestas, inquit, fidem, Cinna: conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras. adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ⁹¹ ferrum. Et cum defixum videret, nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? male mehercule ⁹². cum Republica agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat. ⁹³ Domum tueri tuam non potes. nuper ⁹⁴ libertini hominis gratia in priuato iudicio superatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Caesarem ⁹⁵ aduocare? ⁹⁶ Cedo, si spes tuas solus impedio. ⁹⁷ Paullusne te, & ⁹⁸ Fabius Maximus, & ⁹⁹ Cossi, & ¹⁰⁰ Seruiliij ferent, tantumque agmen nobilium, non ¹⁰¹ inania nomina praferentium, sed eorum qui imaginibus suis decori sunt? Ne totam eius orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem: diutius enim quam duabus horis locutu esse constat, cum ¹⁰² hanc poenam, quam sola erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac ¹⁰³ paricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: contendamus, utrum ego ¹⁰⁴ meliore fide vitam tibi dederim, an ¹⁰⁵ tu debeas. ¹⁰⁶ Post haec detulit ultro consulatum, questus, quod non auderet petere: amicissimum fidelissimumque habuit, heres solus fuit illi: nullis amplius insidiis ¹⁰⁷ ab illo petitus est. Ignouit ¹⁰⁸ abauus tuus victis. nam si non ignouisset, quibus imperasset? ¹⁰⁹ Sallustium, & ¹¹⁰ Cocceios, & ¹¹¹ Duillios, & totam cohortem ¹¹² primam admissionis, ex aduersariorum castris conscripsit. Iam ¹¹³ Domitios, ¹¹⁴ Messallas, Asinios, ¹¹⁵ Cice-

x.

90. TAM DIVES.] *Laudat hoc in Augusto Ouidius: Diuitis etiam multos & honoribus auctos Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*

C 91. FERRVM.] *Qui gladium seruaret occultum, Cinna porro traditurus, an ipse percussurus?*

92. CVM REP.] *Alias, populo Romano: nec id male. Sententia est, Infelicem Remp. si non alij digniores in ea imperare, quam Cinna: & si solus Augustus vota eius moraretur.*

93. DOMVM TVERI.] *Adeo imbecilli ingenio, aut tepida gratia es. & quomodo par sis reipublica?*

94. LIBERTINI.] *Ne nobilis quidem.*

95. ADVOCARE.] *Adesse, causam agere. nam manet in re illa iudiciali.*

96. CEDO.] *Vincor, locum do. etsi possis interrogando acuire, Cedo, dic utrum solus spes tuas moror?*

97. PAVLLVSNE.] *Notat L. Aemilium Paullum, qui Consul postea anno DCCLIII.*

98. FABIUS MAXIMVS.] *Duo tunc illustres, Paullus Fabius Maximus, & aliter Q. Fabius Maximus Africanus.*

D 99. COSSI.] *Corneliorum praenomen, & item cognomen. Fuit tunc Cossus Cornelius Lentulus, Consul DCCLI.*

100. SERVILII.] *M. Seruilius Geminus, Consul DCCLIV.*

101. INANIA NOMINA.] *Cicero in Verrem: Proponit inania mihi nobilitatis, id est hominum arrogantium, nomina.*

102. HANC POENAM.] *Ut exprobraret ei, & obijceret.*

103. PARICIDAE.] *Vel quia in seruatore & alterum parentem surrexerat, vel quia in Principem, communem patrem.*

104. MELIORE FIDE.] *Obliviscendo, nec puniendo.*

105. TV DEBEAS.] *Agnoscendo, & fauendo.*

106. POST HÆC.] *Multis quidem annis post, ex Seneca narratione. nam Consulem reperio anno DCC-LVIII. Quod esset tamen, ex Dionis narratione, ipso anno statim post factum: & credo tempus melius a Dione signatum. De isto autem Consule, etiam Seneca tangit De Benefic. IV. cap. XXX.*

107. AB ILLO.] *Haud miror. sed maius veriussimè, ab illo.*

CAP. X. 108. ABAVVS TVVS.] *Per matrem. Nam Agrippina, alterius Agrippina filia, & hac Iulia, atque ea Augusti.*

109. SALLVSTIVM.] *Qui ex sorore nepos Sallustij nostri historici. Is in arcanà apud Augustum Tiberiumque, gratia: de quo Tacitus, Annalium IV. Quomodo autem iste in hostium castris? nam auunculus certe Iulianus fuit. Per patrem igitur, aut & ipse Bruto & libertati militavit.*

110. COCCEIOS.] *Est M. Cocceius Nerva, Antonio & Augusto amicus: atque inter proavos Nerva postea Principis.*

111. DVILLIOS.] *In meo est, Duellios. sed olim ad Tacitum monemus, Deillios, siue Dellios scribendum. Vide sis nostra ad lib. I. Annal.*

112. PRIMAM ADMIS.] *Ita meus & meliores codices, alij infarctâ voce, primam interioris ad. Sunt qui primæ legant: ego non muto, & accipio primam cohortem exemplo militia dictam, quia ut ea dignissima, sic isti proximi Principi, & semper admit-*

113. DOMITIOS.] *Cn. quidem ipse Domitius, qui ab Antonio transfugit, paulo post obiit: sed filium reliquit auum Neronis, & Augusti gratia vigentem. Hunc igitur intellegit, non hostem, sed tamen ex hoste.*

114. MESSALLAS, ASINIOS.] *In Bruti partibus*

¹¹⁵ Cicerones, & quidquid floris in ciuitate erat, clementiæ suæ debebat. Ipsum Lepidum quamdiu ¹¹⁶ mori passus est? Per ¹¹⁷ multos annos tulit ¹¹⁸ ornamenta principis retinentem: & pontificatum maximum, non nisi ¹¹⁹ mortuo illo, transferri in se passus est. maluit enim illum honorem vocari, quàm spoliū. Hæc cum clementia ad salutem securitatemque perduxit; hæc gratum ac fauorabilem reddidit; quamuis nondum subactis ¹²⁰ Reipub. ceruicibus ¹²¹ manum imposuisset; hæc hodieque præstat illi famam, quæ ¹²² vix viuis principibus seruit. Deum esse, non ¹²³ tanquam iussi ¹²⁴ credimus. Bonum principem Augustum, & benè illi conuenisse ¹²⁵ parentis nomen, fatemur: ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoque suas, quæ ¹²⁶ acerbiores principibus solent esse, quàm iniuriæ, nullâ crudelitate exsequebatur: quod probro-
 fis in se dictis arrisit: quòd dare illum poenas apparebat, cum exigeret: quod quoscumque ob adulterium ¹²⁷ filiæ suæ damnauerat, adeò ¹²⁸ non occidit, ut ¹²⁹ dimissis, quò tutiores essent, ¹³⁰ diplomata daret. Hoc est ignoscere, cum scias multos futuros qui pro te irascantur, & tibi alieno sanguine gratificentur, non dare tantum salutem, ¹³¹ sed præ-
 stare. Hæc Augustus senex, aut iam in senectutem annis vergentibus: in adolescentiâ caluit, arsit irâ, multa fecit, ad quæ inuitus oculos retorquebat. Comparare nemo mansuetudini tuæ audebit diuum Augustum, etiam si in certamen iuueniliū annorum deduxerit senectutem plus quàm maturam. Fuerit moderatus & clemens: nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Siciliâ classes, ¹³² & suas ¹³³ & alienas: nempe post ¹³⁴ Perusinas aras, & proscriptiones. Ego verò clementiam non voco, lassam crudelitatem. Hæc est, Cæsar, clementia vera, quam tu præstas, quæ non scæuitiæ poenitentiam cœpit: nullam habere maculam, nunquam civilem sanguinem fudisse. Hæc est in maximâ potestate, verissima animi temperantia, & humani generis ¹³⁵ incomprehensibilis amor, non cupiditate aliquâ, non temeritate incendi, non ¹³⁶ priorum principum exemplis corruptum, quantum in ciues suos liceat, experien-

Messalla Corninus fuit, seruatus à Cæsare: in Antonio Asinius Pollio, sed Brundisina pace facta continuit se in Italiâ, nec ultra mouit. Velleius, Plutarchus, Dio.

^{115. CICERONES.]} Oratoris nostri filium intellegit, sed nomine tantum. In re & ingenio, quid tam dissimile? Is quoque in Bruti castris iamtum uiuo patre, & postea cum ipso Augusto Consul.

^{116. MORI PASSVS EST.]} Sic legimus, cum libris fidis. Sententia, ipsum Lepidum, qui olim Triumuir sociusq; potentia, & ideo timendum; tamen non occidit, sed lentâ morte absumi in exilio passus est, Circeios relegatum.

^{117. MULTOS ANNOS.]} Vigintitres circiter, quos exsul vixit.

^{118. ORNAMENTA PR.]} Nempe titulum Pontificis Maximi, qui inter sollemnes Principum.

^{119. MORTVO.]} Ex more quidem. nec enim uiuo solet adimi.

^{120. REIP. CERVIC.]} Scripti, populi Romani. Similis allegoria illa Horatiana: Nondum subactâ ferre iugum valet Ceruice.

^{121. MANVM.]} Ad domandum scilicet, & ut sub iugum mitteret.

^{122. VIX VIVIS.]} Vbi adulationis pretium.

^{123. TANQVAM IVSSI.]} Decreto Senatus, & publicâ apotheosi.

^{124. CREDIMVS.]} Ipsi inclinantes, & sponte. Plinius Panegyrico: Tu sideribus patrem intulisti, quia deum credis.

^{125. PARENTIS.]} Nam Pater patria dictus ipse, C & secuti.

^{126. ACERBIORES PRINCIP.]} Nam contumelia cum contemptu est, & inde dicta. Vide Senecam De constant. sap. cap. iv.

^{127. FILIÆ SVÆ.]} Quidam libri, familiæ: & placeat. Nec enim sola Iulia mater adulterauit, sed & filia eius, Augusti neptis: & utriusque admissarios ultum iuit.

^{128. NON OCCIDIT.]} Imò verò quosdam, ut Iulium Antonium, aliosq; morte multauit. Tacitus, & Dio.

^{129. DIMISSIS.]} Relegatis.

^{130. DIPLOMATA.]} Litteras cursus publici, ut iussu Principis transueherentur.

^{131. SED PRÆSTARE.]} Bonâ fide implere & re ipsâ, quod verbis dictum datumq; est.

^{CAP. XI. 132. ET SVAS.]} Quas naufragio, vel & hostili vi amisit, diu eo bello infelix.

^{133. ET ALIENAS.]} Hostiles, Sexti Pompeij.

^{134. PERVSINAS ARAS.]} Ad quas trecenti è dediticiis, hostiarum more, mactati. Suetonius: & Dio, qui tamen quadringentos.

^{135. INCOMPREHENSIBILIS.]} Est à Rudolfo, non à Senecâ. Libri pristini, comprehendit te tibi: alij, comprehensibilis. An fortè, communis parentis similis? Specto auxilium.

^{136. PRIORVM PRINCIPVM.]} Tiberij, Caligula, Claudij.

137. GLO-

A riendo tentare, sed hebetare aciem imperij sui. Præstitisti, Cæsar, ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo ¹³⁷ gloriatus es, *Nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse*: eò maius est mirabiliusque, quòd nulli vmquam citius ¹³⁸ gladius commissus est. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores præstat: ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus. cum reges consenuerint, liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum execrabilis ac breuis potestas est. Quid interest inter tyrannum & regem? species enim ipsa fortunæ ac licentia par est, nisi quòd tyranni voluntate sæuiunt, reges non nisi ex causâ ac necessitate. Quid ergo? non reges quoque occidere solent? sed quoties id fieri publica utilitas persuadet: tyrannis sæuitia cordi est. Tyrannus autem à rege distat factis, non nomine. Nam & Dionysius maior iure meritoque præferri multis regibus potest: & L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium? ¹³⁹ Descenderit licet Dictaturâ suâ, & se ¹⁴⁰ togæ reddiderit: quis tamen vmquam tyrannus tam auidè humanum sanguinem bibit, quàm ille, qui ¹⁴¹ septem millia ciuium Romanorum, contrucidari iussit? Et cum ¹⁴² in vicino, ad ¹⁴³ ædem Bellonæ ¹⁴⁴ sedens, exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: ¹⁴⁵ *Hoc agamus*, inquit, *P. C. seditiosi pauculi meo iussu occiduntur*. Hoc non est mentitus: pauci, Sullæ videbantur. Sed mox ¹⁴⁶ de Sullâ consequemur, quomodo hostibus irascendum sit: utique si in hostile nomen ciues, & ex eodem corpore abrupti, transierint. Interim hoc quod dicebam, clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit: vterque licet non minùs armis valletur, sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis vitur; alter ut magno timore magna odia compescat. Nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit: ¹⁴⁷ contrariis in contraria agitur. nam & inuisus est, quia timetur, & timeri vult, quia inuisus est: & illo ¹⁴⁸ execrabili versu, qui multos dedit præcipites, vitur:

Oderint dum metuant. —

XII.

igna-

C 137. GLORIATVS ES.] *Opinor in Senatu, oratione aliquâ. Nam, ut Tacitus ait, Nero clementiam suam crebris orationibus obstrinxit, quas Seneca, testificando quàm honesta præciperet, vel iactandi ingenij, voce principis vulgabat.* libro XIII.

138. GLADIVS.] *Imperium, ius vitæ necisq.*

CAP. XII. 139. DESCENDERIT.] *E tribunali, & dignitate.*

140. TOGÆ REDDIDERIT.] *Dictator ergo in sa-go, qui rei gerendæ causâ creatus. Notum de Sullâ, quòd ultro & inopinantibus cunctis, Dictaturam depouens, priuato ciuiliq. habitu in foro obambulauerit, licetoribus aliq. pompâ dimissis. Simili phrasi & sensu apud Lucanum Cæsar:*

Ipse ego priuatæ cupidus me reddere vitæ,

D *Plebeiaq. togâ modicum componere ciuem: etsi nimis, heu, falsò.*

141. SEPTEM MILLIA.] *Valdè dissentiunt in numero. Alij ad quatuor millia tradunt: ut Florus, ut Dionysius Halicarnassæus (fidus auctor) sine libri v. Credo & Valerium sic scripsisse: in quo tamen falsò quattuor legiones legas, libro IX. cap. II. Panegyricus Constantino dictus non abit, qui deditam exarmatamque legionem trucidatam scribit. At noster libro De Benefic. v. cap. XVI. legiones duas dicit, conuenienter cum hoc septem millium numero. quem & Firmicus firmat libro I. Septem millia ciuium, in medio sinu vrbs, Sullanâ animaduersione ceciderunt. Linius autem in Epitome, VIII. millia: Plutarchus, sex. quem omnino vide, ipsa ista Seneca verbatim panè exprimentem.*

142. IN VICINO.] *Vbi igitur signatè? in Ouili, siue in Septis, Lucanus dicit: - & miseræ maculauit ouilia Romæ. Alibi: Septorumque nefas, & clausi prælia campi. Florus autem, Linius, Valerius, Panegyristes, Augustinus, omnes in Villâ publicâ. Quid Plutarchus? ἐν τῷ περὶ πόλεως, quod reddunt in circo maximo: malè, cum ille abiunctus sit, intelligitq. Circum Flaminium. Tria enim hæc loca dicta, assident Bellonæ adi.*

143. ÆDEM BELLONÆ.] *Vbi Senatum extra urbem habebat.*

144. SEDENS.] *Lucanus: - sedit securus ab alto Spectator sceleris.*

145. HOC AGAMVS.] *Formula attentionem captantis, & in rem præsentem intendentis.*

146. DE SVLLA CONSEQ.] *Corrupta censeo. An glossematium est, depurandumq. Sed mox consequemur, quomodo? ut verba illa ex marginali notâ irrepserint. An magis, mox de Sullâ cum loquimur: ut in secundo libro tale aliquid fuerit, quod nunc perit?*

147. CONTRARIIS IN CONTR.] *Obscuriusculum est, sed à priore pendet. Ad metum remouendum, arma satellitum habet: & ecce ab iis ipsis metum habet. Ita securitas ei in terrorem vertit. Thyestes, in Senecâ tragico: — dum celsus steti,*

Numquam pauere destiti, atque ipsum mei Ferrum timere lateris.

id est, satellitum qui mihi ad latus.

148. EXECRABILI VERSV.] *De quo vide I. De Irâ, sub finem.*

ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creuerunt. Temperatus enim timor cohibet animos: assiduus verò & acer, & extrema adiuuans, in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet. Sic feras ¹⁴⁹ lineis & pinnâ clusas contineas: easdem à tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntq; ¹⁵⁰ formidinem. Acerrima virtus est, quam vltima necessitas extundit. Relinquat oportet securi aliquid metus, multoque plus spei, quam periculorum, ostendet: alioquin ubi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, & ¹⁵¹ alienâ animâ abuti. Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, quibus ad communem salutem vltatur: gloriosusque miles (publicæ enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, vt parentis custos. At illum acerbum, & sanguinarium, necesse est grauentur stipatores sui. **XIII.** Non potest habere quisquam bonæ ac fidæ voluntatis ministros, quibus in tormentis, & eculeo, & ferraementis ad mortem paratis vltitur, quibus non aliter quàm bestiis homines obiectat: omnibus ¹⁵² reis noxior ac sollicitior, vt qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eò perductus, vt non liceat illi mutare mores. Hoc enim, inter cetera, vel pessimum habet crudelitas: quod perseverandum est, nec ad meliora patet regressus. ¹⁵³ Scelera enim sceleribus tuenda sunt. quid autem eo infelicius, cui iam esse malo necesse est? O miserabilem illum, sibi certè! nam ceteris misereri eius nefas sit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa quàm domestica: cum arina metuat, ad arina confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumspexit quæque fecit, quæque facturus est, & conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit: sæpè mortem timet, sapiùs optat, inuisior sibi quàm seruiantibus. E contrario, is cui curæ sunt vniuersa, quamquam alia magis, alia minùs tuctur, nullam non Reip. partem tamquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiam si ex vsu est animaduertere, ostendens quàm inuitus aspero remedio manus admoueat; in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placidè ac salutariter exercet, approbare imperia sua ciuibus cupiens: felix abundè sibi visus, si fortunam suam ¹⁵⁴ publicauerit; sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis desideriiis propensus, ¹⁵⁵ & iniquis acerbis, à totâ ciuitate amatur, defenditur, colitur. Eadem

149. LINEIS ET PINNA.] Funiculi extensi, quos Lineas appellant. & iis intexta variarum avium pinna, ad feras terrendas & coercendas, vt in retia agerentur, in veterum vsu fuere. Id totum Formido, a re vocabatur, quia feris eam dabat. Hanc Lineam *μηχανή* Oppianus appellat, funiculum. *iv. Halieutic.*

Μηχανή δ' ἔστιν ὅτε δ' ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, ἀπὸ τοῦ θύου, ἀπὸ τοῦ κύνος.
O' p' i' d' w' d' h' o' a' y' t' o' b' o' a' m' e' p' a' :

Funiculo cingunt siluam omnem, circaque neclunt

Alituum leuium pinnas. *Nemesianus describit:*

Linea quinetiam magnos circumdare saltus

Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,

Digerat innexas non vnâ ex alite pinnas.

Namque vsos, magnosque suos, ceruosque fugaces

Terrificant, liniq; vetant transcedere septum.

Gratius de cygni & vulturis plumis maxime format:
& addit: - ab vulture dirus auaro

Turbat odor siluas.

Quâ causâ à Lucano scriptum:

- sic dum pauidos Formidine ceruos

Claudat, oderatæ, metuentes aëra pinnæ.

Quamquam & tingi hæ pinna sandice aut rubro solent. Vnde Virgilius:

Puniceæve agitant pauidos formidine pinnæ.

Seneca Tragicus: Picta rubenti linea pinnâ, Vano claudat terrore feras. *Noster de Ira* *ii. cap. xii.*

Rubens pinna. Multi ad hanc Formidinem alludunt; pulchre Epictetus apud Arrianum *ii. Dissert. cap. i.* *Λοιπὸν ἡμεῖς τὸ τῷ ἐλάφῳ πᾶσι φοβῆναι φεύγειν αἱ ἐλαφοὶ τὰ πῖννα, πᾶσι φοβούνται, καὶ πρὸς τινὰ ἀναχωρεῖν ὡς ἀσφαλὴ πρὸς τὰ δίκτυα, καὶ ἔτιως ἀπολλύονται, ἐναλλάττειν τὰ φοβερά καὶ τὰ θαρράλεια:* Ceterum nos idem quod cerui facimus, qui dum exterriti fugiunt pinnas, aliò se vertunt & quasi ad secreta loca in ipsa retia concedunt; atque ita pereunt, permutantes timenda non timendis. Ita hæc vertenda: *interpres meus fecerat, fugiunt volucrum insectationem.*

150. FORMIDINEM.] Adde *De Ira* *ii. cap. xii.*

151. ALIENA ANIMA.] Eius quem timeat. in illum potius ruere.

CAP. XIII 152. REIS NOXIOR.] Mors & prisci, rebus noxior. ex quo facile factu, reis obnoxior: quod omnino verum est.

153. SCELERA ENIM.] Seneca in *Agamemnone:* Per scelera sæpè sceleribus tutum est iter.

154. PUBLICAVERIT.] Felicitatem suam communicauerit, in publicum deriuarit.

155. ET INIQUIS.] Pro hac benignitate magis esset, nec iniquis acerbis.

A dem de illo homines secretò loquuntur, quæ palàm. ¹⁵⁶ Tollere filios cupiunt, & publicis malis sterilitas indicta recluditur: benè se meritum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale sæculum ostenderit. Hic Princeps suo beneficio tutus, nihil præfidiis eget: ¹⁵⁷ arma ornamentis causâ habet. Quod ergo officium eius est: quod bonorum parentum: qui obiurgare liberos nonnumquam blandè, nonnumquam minaciter solent, aliquando ¹⁵⁸ admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium, ¹⁵⁹ ad primam offensam, exhereditat? nisi magnæ & multæ iniuriæ patientiam euicerint, nisi plus est ¹⁶⁰ quod timeret, quàm quod damnat, non accedit ad ¹⁶¹ decretorium stilum. Multa antè tentat, quibus dubiam indolem, & ¹⁶² peiore loco iam positam, reuocet: simul deplorata est, vltima experitur. Nemo ad supplicia exigenda peruenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum est: quem appellauimus ¹⁶³ *Patrem patriæ*, non adulatione vanâ adducti. Cetera enim cognomina honori data sunt. ¹⁶⁴ *Magnos* & ¹⁶⁵ *Felices* & *Augustos* diximus, & ambitiosæ maiestati quidquid potuimus titulorum congesimus, illis hoc tribuentes: *Patrem* quidem *patriæ* appellauimus, ut sciret datam sibi potestatem ¹⁶⁶ patriam: quæ est temperatissima, liberis consulens, suæque post illos ponens. Tardè sibi pater membra sua abscindat: etiam cum absciderit, reponere cupiat: & in abscindendo gemat, ¹⁶⁷ cunctatus multum diuque. Propè enim est ut libenter damnet, qui citò: propè ut iniquè puniat, ¹⁶⁸ qui nimis. ¹⁶⁹ Erixonem equitem Romanum memoriâ nostrâ, quia filium suum flagellis ¹⁷⁰ occiderat, populus in foro ¹⁷¹ graphiis ¹⁷² confodit. Vix illum Augusti Cæsaris auctoritas, infestis tam patrum quàm filiorum manibus eripuit. ¹⁷³ T. Arium, qui filium deprehensum in parricidio, exilio damnauit, causâ cognitâ, nemo non suspexit, quod contentus exilio,

XIV.

XV.

¹⁵⁶. TOLLERE FILIOS.] *Plinius Panegyrico*: Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat & expediat. nemo iam parens filio nisi fragilitatis humanæ vices horret, nec inter insanabiles morbos Principis ira numeratur.

¹⁵⁷. ARMA ORNAMENTI.] *Mamertinus in laudatione Iuliani*: Arma igitur & iuuenes cum gladiis atque pilis, non custodiæ corporis sunt, sed quidam Imperatoriæ maiestatis sollennis ornatus. Quid enim istis opus est, cum sis firmissimo muro ciuici amoris obseptus?

CAP. XIV. ¹⁵⁸. ADMONERE.] *Nempe officij sui*.

¹⁵⁹. AD PRIMAM OFF.] *Cicero pro Roscio*: Magna oportet esse vitia atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum eiceret ex animo, ut denique se patrem esse obliuisceretur.

¹⁶⁰. QVOD TIMET.] *Nisi extremum aliquod scelus, & parricidium metuat*.

¹⁶¹. DECRETORIVM.] *Id est, vltimum & quo sententiam in filium Abdicatōis siue exheredatōis scribit. Decretorium enim, iudiciale, νεττιόν. Vide Epistol. CII. & Saturnalia nostra, libro II. cap. XIX.*

¹⁶². PEIORE LOCO.] *In præcipiti, & in lapsu*.

¹⁶³. PATREM PATRIÆ.] *Consentienti animo plebs ac Senatus. Vide Suetonium, Aug. cap. LVIII. Nam ab illo titulus adhesit aliis; in illum venit ab exemplo Ciceronis, qui primus ita dictus.*

¹⁶⁴. MAGNOS.] *Vt Pompeium.*

¹⁶⁵. FELICES.] *Vt Sullam.*

¹⁶⁶. PATRIAM.] *Non dominicam.*

¹⁶⁷. CUNCTATVS.] *Iuuenalis*: Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa est.

¹⁶⁸. QVI NIMIS.] *Imò semper & certò iniquè qui nimis. Sed hoc intellegit, videri iniuste & sine causâ punire, qui modum excedit. Potest igitur equitas esse, in causâ: iniquitas in modo.*

¹⁶⁹. ERIXONEM.] *Meus & alij, Trixonem. magis Romanum esset, Trichonem, siue Triconem. Vtrius enim modo credo scriptit esse.*

¹⁷⁰. OCCIDERAT.] *Rectè. nec accedo iis qui ceciderat, contra liberos, supponunt. Ignominiosum sanè & seruire flagellis cedi: scimus. sed patri hoc ita inuidie odioq; fuisset, cui plura & vltima in filium licent? Non opinor: sed hoc odium merito habuit, quod impetu & seuitiâ, ipse suis manibus, filium flagris neci dedisset.*

¹⁷¹. GRAPHIIS.] *Nec enim telis aut pugionibus vulgò tunc accincti. Itaque in subitâ irâ, ad hæc, quæ prompta erant, confugiebant, graphia dico, quæ cum pugillaribus secum ferebant. Nam Graphium (Græcicâ voce) stilus ferreus, acutus. quo & Cæsar Iulius Cæsar brachium traiecit: & Caligula Senatorem quemdam graphiis confossum, lacerandum ceteris tradidit. Suetonius in vitâ viriusque.*

¹⁷². CONFODIT.] *At non occidit. nam Cæsar eripuit, ut sequitur.*

CAP. XV. ¹⁷³. T. ARIVM.] *Sic Muretus: at libri nostri Tarium iunctim præferunt. Et verò L. Tarius Rufus, ipso Augusti imperio, Consul fuit, anno DCCXXXVII. Vide Fastos.*

R 4

174. DE-

exfilio, & exfilio ¹⁷⁴ delegato. Massiliæ parricidam ¹⁷⁵ continuit, & ¹⁷⁶ annua illi præ- A
stitit, quanta præstare integro solebat. Hæc liberalitas effecit, ut in quâ ciuitate numquam
deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus esset, quem is pa-
ter damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo, quem compares
bono patri bonum Principem. Cogniturus de filio T. Arius, aduocauit ¹⁷⁷ in consilium
Cæsarem Augustum. venit in priuatos penates, assedit, ¹⁷⁸ pars alieni consilij fuit. Non
dixit: Imò in meam domum veniat. Quod si factum esset, Cæsaris futura erat cogni-
tio, non patris. Auditâ causâ, excussisque omnibus, & his quæ adolescens pro se dixerat,
& his quibus arguebatur, ¹⁷⁹ petit, ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium
fieret, quæ Cæsaris fuisset. Deinde priusquam aperirentur ¹⁸⁰ codicilli, iurauit se T. Arij
hominis locupletis ¹⁸¹ hereditatem non aditurum. Dicit aliquis, ¹⁸² pusillo animo. ti-
muit, ne videretur locum spei suæ aperire velle, filij damnatione. Ego contrâ sentio.
Quilibet nostrum debuisset aduersus opiniones malignas satis fiduciæ habere in bonâ
conscientiâ: Principes multa debent etiam ¹⁸³ famæ dare. Iurauit se non aditurum he- B
reditatem. Arius quidem eodem die ¹⁸⁴ & alterum heredem perdidit, sed Cæsar liber-
tatem sententiæ suæ redemit: & postquam approbavit ¹⁸⁵ gratuitam esse seueritatem
suam, quod principi semper curandum est, dixit, relegandû quò patri videretur. ¹⁸⁶ Non
culleum, non serpentes, non carcerem decreuit: memor ¹⁸⁷ non de quo censeret, sed cui
in consilio esset. Mollissimo genere pœnæ contentum esse debere patrem dixit, in filio
adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, ¹⁸⁸ ti-
XVI. midè gessisset: debere illum ab vrbe & à parentis oculis submoueri. O dignum,
quem in consilium patres aduocarent! ô dignum quem coheredem innocentibus liberis
scriberent! Hæc clementia Principem decet, ut quocumque venerit, mansuetiora omnia
faciat. Nemo regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat. qualiscumque, pars imperij
est. In magna ¹⁸⁹ imperia ex minoribus petamus exemplum. Non est vnum imperan-
di genus. imperat Princeps ciuibus suis, pater liberis, præceptor discipulis, tribunus
vel centurio militibus. Nonne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagis liberos, etiam C
ex leuissimis causis, compescet? Vter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui
excar-

174. DELEGATO.] *Omnino, delicato, malim. nam talis in otiosa & maritima vrbe illa sedes. Innotuit Milonis locus, in Ciceronem: Tu si ita dixisses, non hic Massiliæ mullos ederem: in Dionis XL.*

175. CONTINUIT.] *Clausit, & eo loco circumscripsit. Ergo relegatio propriè, non exsilium fuit.*

176. ANNUA.] *Pandecliarum titulus, De annuis legatis: & intelleguntur pecuniæ alimenta. Glosse: Annuum, τὸ ἐνιαυτοῦ στήνέσιον, alimentum annuum. Suetonius Tiberij cap. L. Peculio concessio à patre, præbitisque annuis fraudauit.*

177. IN CONSILIUM.] *De more. nam pater filio priuatus iudex & censor: atque ita velut iudicio cogniturus, cognatos, adfines, amicos interiores aduocabat, de quorum consilio statueret. In Valerio, lib. v. cap. VIII. atque alibi exempla.*

178. PARS ALIENI.] *Non caput. quæ omnia ad modestiam Augusti, & in amicos benignitatem.*

179. PETIT.] *Ipsè Cæsar, non pater. Bona autem ratio, ad libertatem sententiis & veritatem dandam: de quâ nos in Politiis.*

180. CODICILLI.] *In quibus sententiæ scriptæ.*

181. HEREDITATEM NON AD.] *Ergo iam heres institutus erat, & sciebat? minime. sed potuisset institui, & ex more eius cui crebrum erat, orbos aut*

qui beneficia à Cæsaribus haberent, mori illis hereditibus sine ex asse, siue ex parte. Augustus igitur præcauit & rem & suspicionem hoc facto, & sententiam suam spei aut affectus immunem ostendit.

182. PUSILLO ANIMO.] *Quia excusat, in quo nemo accusat: atque ita seipse penè accusat.*

183. FAMÆ DARE.] *Debent certè. & Taciti nostri scitum est, Principibus præcipua rerum ad famam dirigenda. O ament eam, & huius amore virtutem! Verè ab eodem scriptum: Contemptu famæ, contemni virtutes.*

184. ET ALTERVM.] *Nam filium perdidit suâ D Abdicacione: Cæsarem, eius Abiuratione.*

185. GRATUITAM ESSE.] *Spei aut præmio non obnoxiam.*

186. NON CULLEVM.] *Infra, cap. XXXIII. Porro similis clementiæ in eodem Augusto exemplum Suetonius refert in ipso, cap. XXXIII.*

187. NON DE QVO.] *Qui ipse meritis erat. quippe animo & conatu parricida.*

188. TIMIDE GESS.] *Acutè. aggressus quidem scelus, sed parùm destinato aut forti animo, & quem pietas adhuc cœrcebat. Ita excusat factum quod patris fatum & Deus interpellauit.*

CAP. XVI. 189. IMPERIA.] *Velim abesse hanc vocem.*

190. MO-

A excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit: an qui ¹⁹⁰ monitionibus, & verecundiâ, emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da sæuum: desertores faciet, ¹⁹¹ quibus tamen ignoscitur. Numquidnam æquum est, grauius homini & durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris verberibus exterret, domandi peritus magister. Fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique iam exercitatis utitur ¹⁹² ad excitandas, vel persequendas feras. Nec crebro illis minatur: contunditur enim animus, & quidquid est indolis, comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam vagandi errandi que passim concedit. Adicias his licet, ¹⁹³ tardiora agentes iumenta: quæ cum ad contumelias & misérias nata sint, nimiam sæuitiâ coguntur iugum detrectare. Nul- XVII.
lum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quam homo: nulli magis parcendum. Quid enim stultius, quam in iumentis quidem & canibus erubescere iram
B exercere, pessimam autem conditione ¹⁹⁴ hominem esse? Morbis medemur, nec irascimur: atqui & hic morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum agro. Mali medici est, desperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debet, cui credita salus omnium est: non citò spem proicere, nec ¹⁹⁵ mortifera signa pronunciare. Luctetur cum vitiis, resistat; aliis morbum suum exprobet; quosdam molli curatione decipiat, citius meliusque sanaturus remediis fallentibus. Agat Princeps curam, non tantum salutis, sed etiam honestæ ¹⁹⁶ cicatricis. Nulla regi gloria est ex sæuâ animaduersione. quis enim dubitat posse? at contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit. Seruis XVIII.
imperare moderatè, laus est: & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impunè pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura: quæ parcere etiam captiuis, & pretio paratis, iubet. Quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis, non ut mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita seruitus sit, sed tutela? Seruis ¹⁹⁷ ad statuam licet confugere. cum in seruum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune ius animantum veter: ¹⁹⁸ quia eiusdem naturæ est, cuius tu. Quis non ¹⁹⁹ Vedium Pollionem peius oderat, quam serui sui, quod murænas sanguine humano saginabat: & eos qui se aliquid offenderant, in ²⁰⁰ viuarium, quid aliud quam ²⁰¹ serpentibus, obici iubebat? O hominem mille mortibus dignum! siue deuorandos seruos obiciebat murænis, quas esurus erat, siue ²⁰² in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret. Quemadmodum domini crudeles totâ ciuitate com-

190. MONITIONIBVS.] Sic oportet. nam, ut Fabius, Sicui est mens tam illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur.

191. QVIBVS TAMEN.] Præua distinctio, quis enim Desertoribus ignoscit, quos leges puniunt? Tu interpunge: desertores faciet. Quibus tamen ignoscitur? numquidnam æquum est gr. Sententia aperta. Ignosci volumus, & quibus? hominibus. Atqui & brutis ignoscitur, & molliter habentur: cur non magis illis?

192. AD EXCITANDAS.] Quod faciunt sagaces canes, qui in cubili deprehensas excitant, & venatoriis canibus tradunt.

193. TARDIORA.] Boves, equos, asinos.

CAP. XVII. 194. HOMINEM ESSE.] Scripsi, sub homine esse. Voculam insere, sub homine hominem esse?

195. MORTIFERA.] Ut in desperatione, medici.

196. CICATRICIS.] Ut nec infamia quidem appareat.

CAP. XVIII. 197. AD STATVAM.] Sub Imp. ille mos. & serui iniuriâ affecti aut afficiendi, non ad templa solum, sed ad statuam quamcumque Principis confugiebant (multæ autem in foris, vicis, viis passim:) atque eas amplexi à vi tuti erant. Exemplis satis hoc firmani & docui ad III. Annalem Taciti.

198. QVIA EIVSDEM.] Sex hæc verba in serui auctore meo libro, nec extranea mihi videntur.

199. VEDIVM POLL.] De quo homine, an monstro, De Irâ III. cap. XL.

200. VIVARIVM.] Quicumque locus, ubi viuæ animantes aluntur, fera, aues, pisces.

201. SERPENTIBVS.] Nam formæ vix dissident. De hac re Plinius lib. IX. cap. XXI. Inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ Vedius Pollio, eques Rom. ex amicis D. Augusti, viuariis earum immergens damnata mancipia: non tamquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum hominem pariter distrahi spectare non poterat.

202. IN HOC TANTVM.] Oblectamento suæ sæuitiæ. non ut pasceretur iis, sed ut pasceret.

203. PVBLI-

monstrantur, inuisique & detestabiles sunt: ita regum & iniuria latius patet, & infamia, A
 atque odium sæculis traditur. Quanto autem non nasci melius fuit, quam numerari inter
 XIX. ²⁰³publico malo natos? Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum
 regenti sit quam clementia: quocunque modo is, & quocunque iure præpositus ceteris
 erit. Eò scilicet formosius id esse, magnificentiusque fatebimur, quò in maiori præstabi-
 tur potestate: quam non oportet noxiam esse, si ad naturæ legem componitur. Natura
 enim commenta est regem: quod & ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex apibus:
 quarum regi ²⁰⁴amplissimum cubile est, ²⁰⁵medioque ac tutissimo loco. Præterea
²⁰⁶onere vacat, exactor alienorum operum: & ²⁰⁷amisso rege, totum dilabitur examen.
 nec unquam ²⁰⁸plus unum patiuntur, melioremque pugnam quærunt. Præterea insignis
 regi forma est, dissimilisque ceteris, ²⁰⁹tum magnitudine, ²¹⁰tum nitore, hoc tamen
 maxime distinguitur. Iracundissima, ac pro corporis captu pugnacissima sunt apes, &
 aculeos in vulnere relinquunt: ²¹¹rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sæ-
 tuum esse, nec ultionem ²¹²magno constaturam petere: telumque detraxit, & iram eius B
 inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est. Est enim illi mos, exere se
 in parvis, & ingentium rerum documenta ²¹³minima agere. Pudeat ab exiguis anima-
 libus non trahere mores: cum tantò hominum moderatior esse animus debeat, quantò
 vehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex esset: & ira cum telo suo fran-
 geretur: nec sæpius liceret nocere quam semel, nec ²¹⁴alienis viribus exercere odia! faci-
 le enim lassaretur furor, si ²¹⁵per se sibi satisfaceret, & si mortis periculo vim suam effun-
 deret. Sed ne nunc quidem illi cursus tutus est. Tantum enim necesse est ²¹⁶timeat, quan-
 tum timeri voluit: & manus omnium obseruet, & eo quoque tempore quo non capta-
 tur, peti se iudicet, nullumque momentū immune à metu habeat. Hanc aliquis ²¹⁷ægram
 vitam

²⁰³. PUBLICO MALO.] *Sicut aduersa formula in bonis Principibus, Bono publico natos. Suetonius, Neronis cap. vi. Præfatio fuit Domitij patris vox, negantis quidquam ex se & Agrippinâ nisi detestabile, & malo publico, nasci potuisse.*

CAP. XIX. ²⁰⁴. AMPLISSIMUM CUBILE.] *Plinius: Regias imperatoribus futuris in imâ parte aluei exstruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentes.*

²⁰⁵. MEDIOQUE.] *Quomodo, si iam ex Plinio in imâ parte aluei locauimus? etsi vulgò tamen in Plinio vnâ parte, nimis indefinite legunt. Sed sciendum, apes primum suas cellas struere, tum in imis ceris regum, tum denique & fucorum. Ita rex in medio simul, & imo: eaq; mente Hyginus, In fine cerarum; Columella in extremis fauis ponit. At Aristoteles rem aperit, ix. Histor. Animal. cap. xl. πλάττει δὲ, inquit, τὰ τῶν βασιλέων πρὸς τοῖς αὐτῶν (μικρὰ δὲ ἐστὶ ταῦτα) τὰ δὲ κηφύια πρὸς αὐτά: Fingunt (cellas) regum iuxta suas. Minores autem istæ sunt: & iuxta has fuci. Plura in eo vide.*

²⁰⁶. ONERE VACAT.] *Plinius: Cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis.*

²⁰⁷. AMISSO REGE.] *Idem Plinius: Duce prehensio, totum tenetur agmen, amisso dilabitur. Sunt ipsa verba quæ in Senecâ: si meum quidem manuscriptum audis (nam alij variant) in quo est: totum dilabitur agmen.*

²⁰⁸. PLUS VNUM.] *Nam plures quidem incohantur (Plinius) sed ex his, soboles cum adulta esse cœpit, concordii suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina.*

²⁰⁹. TVM MAGNIT.] *Idem nature mysles: Regibus forma semper egregia, & duplo quam ce-*

teris maior, in fronte macula, quodam diadema-
 te candicans.

²¹⁰. TVM NITORE.] *Idem: Multum etiam C nitore à vulgo differunt.*

²¹¹. REX SINE ACVL.] *Hoc controuertit Plinius: Non constat inter auctores, rex nullumne solus habeat aculeum, maiestate tantum armatus, an dederit quidem eum natura, sed usum eius illi tantum negauerit. Aristoteles contra Senecam profert, lib. v. Histor. cap. xxi. Κέντρον δὲ οἱ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνες ἔχουσιν μὲν, ἀλλ' ἂν τὸ πῦρ. διὸ ἐνίοι μὲν ἐκ οἴονταί ἔχειν αὐτὰς: Aculeum reges & duces habent quidem, sed eo non pungunt. quare quidam nec habere eos censent. Cum Senecâ iterum Dio Chrysostomus, qui & hac ipsâ imaginem in eadem sententiam vitur, i i i i. De regno.*

²¹². MAGNO CONSTATVRAM.] *Ipsâ animâ. Virgilius: — animalque in vulnere ponunt.*

²¹³. MINIMA.] *Crederem, minimâ, auferendi casu capiendum. Minimâ re, ingentium rerum docu- D menta agit. Etsi non nollem etiam, minimis.*

²¹⁴. ALIENIS VIR.] *Nam Principes potentesq; per alios, & administratos, nocent.*

²¹⁵. PER SE SIBI.] *Suis manibus viribusque, non alienis, ut præiit.*

²¹⁶. TIMEAT.] *Noto illo versu: Timet timentes, metus in auctorem redit.*

Sed & Plutarchus pulchrè, Ad indoctum Principem: Τῶ γὰρ ὄντι, δὲ δίασιν οἱ βασιλεῖς ὑπὲρ τ' ἀρχομένων, οἱ δὲ τύραννοι τὰς ἀρχομένων. διὸ τῇ δυνάμει τὸ δέος συναύξουσιν. πλείονων γὰρ ἀρχόντες, πλείονας φοβέονται: Reuera enim reges pro subditis timent, ac tyranni subditos: quorum potentia si crescit, etiam metus. Pluribus enim cum imperant, plures etiâ timent.

²¹⁷. ÆGRAM.] *Gruterus, agere.*

²¹⁸. COL-

A vitam sustinet: cum liceat innoxium, atque ob hoc securum, salutare potentiae ius, laetis omnibus, tractare? Errat enim, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil à rege tutum est. Securitas securitate mutuâ paciscenda est. Non opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusque sepire: saluum regem in aperto clementia praestabit. Vnum est ²¹⁹ inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis, & vota non ²²⁰ sub custode nuncupantibus? si paullum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute praesidis sui commutatum velit? omne quod illi contingit, sibi quoque euenire deputer? ²²¹ In hoc assiduis bonitatis argumentis probavit, non Remp. suam esse, sed se Reipublicae. Quis huic audeat struere aliquod periculum? quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque auertere velit, sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent? sub quo opulenta ciuitas copiâ bonorum omnium abundat?

B Nec alio animo rectorem suum intuetur, quam si ²²² dii immortales potestatem visendi sui faciant: ²²³ intueremur venerantes colentesque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum naturâ gerit, beneficus ac largus, & in melius potens? Hæc affectare, hæc imitari decet: maximum ita haberi, ut optimus simul ²²⁴ habeatur.

Duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium. Prius de parte differam, quæ ipsum contingit. difficilius est enim moderari, ubi ²²⁵ dolori debetur ultio, quam ubi ²²⁶ exemplo. Superuacuum est hoc loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat, ut innocentiae faueat, ²²⁷ ut appareat, non minus rem agi periclitantis, quam iudicis: hoc ad iustitiam, non ad clementiam pertinet. Nunc illum hortamur, ut manifestè læsus, animum in potestate habeat: & poenam, si tutò poterit, donet: sin minus, temperet: longèque sit in suis, quam in alienis, exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed cum qui

C cum suis stimulis exagitetur, non proflit: qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentiâ pati, nec quidquam esse gloriosius, principe impune læso. Ultio duas res præstare solet: aut ²²⁸ solatium affert ei qui accipit iniuriam, aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quam ut tali solatio egeat: manifestiorque vis, quam ut ²²⁹ alieno malo opinionem sibi virium quærat. Hoc dico, cum ab inferioribus peti-

tus

219. INEXPUGNABILE.] *Plinius Panegyrico: Discimus experimento, fidissimam esse custodiam Principis, ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.*

220. SUB CUSTODE.] *Id est palam, & securis si quis obseruet non obseruet. Cupiunt videntque illum saluum, toto animo, totâ voce. At sub custode, alia vota palam, alia in pectore suscipiuntur. quod Plinius in Laudatione Traiani ostendit: Remouerent à custodiâ tui oculos, teque relinquerent votis, quæ non palam concipiuntur. Idem, in eadem: Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant Principes, nisi quos odimus: & alia quæ adiungit, è quibus vides nec libera, nec vera vota fuisse sub tyrannis. Brissonus tamen hæc Seneca trahit & apponit ad Pliny locum libri XXVIII. cap. II. In precationibus, nequid verborum prætereatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari qui attendat. At mihi diuersus ille ritus.*

221. IN HOC.] *Fortasse, Is hoc: vel, qui: si tamen non aliquis hic defectus.*

222. DII IMMORTALES.] *Est Homericum illud:*

Ερχόμενον δ' ἀνὰ ἄστρ, θεὸν ὥς, εἰσπορεύσιν:
Vadentemque per urbem, adspectant numinis instar.

223. INTUEREMUR VENER.] *Distinguiam: faciant, intueremur vener. Quidam libri, intueamur: item rectè.*

224. HABEATUR.] *Quibusdam, habere: bene, ad Neronem.*

CAP. XX. 225. DOLORI.] *Cum se vindicat.*

226. EXEMPLO.] *Cum alium, & nequis temerè iniurius sit aut ledat.*

227. UT APPAREAT.] *Hæc ex melioribus libris legenda putem: faueat & appareat, ut non minorem agi rem periclitantis, quam iudicis, sciat. Appareat, id est, adsit praestoque sit ad tuendum. Vocula autem, sciat, à libris additur.*

CAP. XXI. 228. SOLATIVM AFFERT.] *Nam dulce est, dolorem reddere: lib. II. De Irâ, cap. XXXII. Et apud Pacunium aliquis:*

Dij me etsi perdunt, tamen esse adiutam expectunt,

Quod priusquam intereo, spatium vliscendi danunt.

229. ALIENO MALO.] *Noxâ ac lesione alterius.*

230. IN-

tus violatusque est. nam si quos pares aliquando habuit, ²³⁰ infra se videt, satis vindica- A
tus est. Regem & seruus occidit, & serpens, & sagitta: seruauit quidem nemo, nisi ma-
ior eo quem seruauit. Vti itaque animosè debet tanto munere deorum, dandi auferen-
di que vitam potens: in his præsertim, quos scit aliquando ²³¹ suo fastigio obstitisse: hoc
arbitrium adeptus, ultionem impleuit, perfecitque quantum veræ poenæ fatis erat. Per-
didit enim vitam, qui debet: & quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienam de
capite suo ²³² regiamque sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam viuet, plusque
nomini eius conferet incolumis, quam si ex oculis ablatum esset. Assiduum enim specta-
culum alienæ virtutis est: in triumpho citò transisset. Si verò regnum quoque suum tu-
tò relinqui apud eum potuit, reponique eò vnde deciderat: ingenti incremento surgit
laus eius, qui contentus fuit, ex rege victo nihil, præter gloriam, sumere. Hoc est etiam
ex victoriâ suâ triumphare, testarique, nihil se quod dignum esset victore, apud victos
inuenisse. Cum ciuibus, & ignotis, atque humilibus, eò moderatius agendum est, quò
minoris est afflixisse eos. Quibusdam libenter parcas: à quibusdam te vindicare fasti- B
dias, & non aliter quam in animalibus paruis & obterentem inquinantibus, reducenda
manus est: at in iis qui in ore ciuitatis seruati punitique erunt, occasione notæ clementiæ
vtendum est. XXII. Transeamus ad alienas iniurias: in quibus vindicandis ²³³ hæc tria
lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: aut vt eum quem punit, emendet; aut
vt poenâ eius ceteros meliores reddat; aut vt sublatis malis securiores ceteri viuunt. Ipsos,
facilius emendabis minore poenâ: diligentius enim viuit, cui aliquid integri superest.
Nemo dignitati perditæ parcat. impunitatis genus est iam non habere poenæ locum. Ci-
uitatis autem mores magis corrigit parcitas animaduersionum. facit enim consuetudi-
nem peccandi, ²³⁴ multitudo peccantium: & minus grauis nota est, quam turba dam-
natorum leuat: & seueritas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit, au-
ctoritatem. Constituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius felicius compescit,
²³⁵ si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam inuitus, & cum magno tor-
mento ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. C
XXIII. Grauior multo poena videtur, quæ à miti viro constituitur. Præterea videbis ea
sæpè committi, quæ sæpè vindicantur. ²³⁶ Pater tuus plures ²³⁷ intra quinquennium
²³⁸ culleo insuit, quam omnibus sæculis insutos accepimus. multo minus audebant libe-
ri nefas vltimum admittere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summâ enim prudentiâ
²³⁹ altissimi viri, & rerum naturæ peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus, & vltra
auda-

230. INFRA SE.] *Claudianus:*

— ignoscere pulchrum

Iam misero, poenæque genus, vidisse precan-
tem.

231. SVO FASTIGIO.] *Meus*, sibi fastigium ob-
tinuisse; *nec longè ab eo Pinciani*. Cui assentior emen-
danti: quos scit aliquando simile fastigium obti-
nuisse.

232. REGIAMQUE.] *Displicuit Mureto*, & cie-
cit. *At libri asserunt, nisi quòd quidam regioque*. Ex
quo ego, regnoque fecerim.

CAP. XXII. 233. HÆC TRIA.] *Agellius*
libro vi. cap. xiv. & ipse puniendi tres causas siue
genera ponit, sed leui dissensu. *Vide.*

234. MULTITUDO.] *Idem de Benef. iii.*
cap. xvi. Pudorem rei tollit multitudo peccan-
tium, & definit esse probri loco commune ma-
ledictum.

235. SI PATIENS.] *Nam, vt Latinus Pacatus in*
Panegyrico, quiescentibus legum minis, subiit
quemque priuatim sui poenitentia: & *vt Plinius*,
castigauerunt vitia sua ipsi, qui castigari mere-
bantur. *Duc eodem hoc quoque Plinij*: Nescio an

plus moribus conferat Princeps, qui bonos esse
patitur, quam qui cogit.

CAP. XXIII. 236. PATER TVVS.] *Claudianus*, qui *Neronem malo suo & publico adoptauit*.

237. INTRA QVINGENNIVM.] *Vltimum*,
opinor.

238. CVLLEO.] *Res iam nota. parricide dam-*
nati statim caput & os obuoluebantur, & inde in D
carcerem ducti, tum culleo (id est sacco coriaceo)
insuti in mare deferiebantur. Auctor ad Herennium
libro i. Ei damnato, statim folliculo lupino os
obuolutum est, & in carcerem ductus est. *Vide*
Festum in Obuoluere; *Quintilianum Decla-*
mat. ccxcviii. Senecam De Ira, i. cap. xvi. Su-
prà hoc libro, cap. xv. Non culleum, non serpen-
tes. *Glossarium vetus*: Fuit lex, vt qui parricidium
fecisset, publicè in culleo missus infueretur, cum
viperâ, & cane, & simiâ, & gallo, impiis anima-
libus, impius homo: & super plaustrum, iunctis
nigris bobus, deferretur in mare.

239. ALTISSIMI VIRI.] *Solonem intellegit. de*
quò Cicero pro Roscio: Solon cum interrogaretur,
cur nullum supplicium constituisset in eum qui paren-

A audaciam positum præterire, quàm dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidæ cum ²⁴⁰ lege cœperunt, & illis facinus pœna monstravit. pessimo loco pietas fuit, postquam ²⁴¹ sæpius culleos vidimus, quàm cruces. In quâ ciuitate rarò homines puniuntur, in eâ consensus fit innocentia, & indulgetur velut publico bono. Putet se innocentem esse ciuitas, erit. magis irascitur à communi frugalitate desciscientibus, si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto plures mali sint.

²⁴² In Senatu dicta est aliquando sententia, vt seruos à liberis ²⁴³ cultus distingueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret, si serui nostri ²⁴⁴ numerare nos cœpissent. Idem scito metuendum esse, si nulli ignoscitur: citò apparebit, pars ciuitatis deterior quanto prægrauet. Non minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Remissiùs imperanti, meliùs patetur. Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequiturque faciliùs, quàm ducitur. Et vt generosi atque nobiles equi, meliùs facili fræno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi. plus itaque hac viâ proficitur. Crudelitas minimè humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac vulneribus: & abiecto homine, in siluestre animal transire.

Quid enim interest, oro te Alexander, ²⁴⁵ leoni Lysimachum obiicias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potiùs ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem! Non exigimus à te, vt manus ista, exitium familiare certissimum, vlli salutaris sit: vt iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem cædemq; satietur: clementia vocetur, si ad occidendum amicum, carnifex inter homines eligitur. Hoc est, quare vel maximè abominanda sit sæuitia, quòd excedit fines, primùm solitos, deinde humanos. Noua supplicia conquirat, ingenium aduocat, instrumenta excogitat, per quæ varietur atque extendatur dolor, & delectatur malis hominum. Tunc ille dirus animi morbus ad insaniam peruénit vltimam, cum crudelitas versa est in voluptatem: & iam occidere hominem iuuat. Nam talem virum à tergo sequitur euersio, odia, venena, gladij. tam multis periculis petitur, quàm multorum ipse periculum est: priuatique nonnumquam consiliis, aliàs verò consternatione publicâ circumuenitur. Leuis enim & priuata perniciēs, non totas vrbes mouet: quòd latè furere cœpit, & omnes appetit, vndique configitur. Serpentes paruulæ fallunt, nec publicè ²⁴⁶ consequuntur: vbi aliqua solitam mensuram transiit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & ²⁴⁷ sufflatu deurit obteritque quacumque incescit, ²⁴⁸ ballistis petitur. Possunt ²⁴⁹ verba dare,

& eua-

parentem necasset? respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur.

240. LEGE COEPERVNT.] Fortasse, cum legem ceperunt.

D 241. SÆPIVS CVLLEOS.] Sub Claudio. de quo Suetonius, hoc ipsum tangens, cap. xxxiv. Pœnas parricidarum repræsentabat exigebatque coram.

CAP. XXIV. 242. IN SENATV.] Meus & plerique scripti, Indicta est aliquando à Senatu sententia. Quidam, Inducta. Fortasse, Indicata. vt significet positam tantum, non probatam vel admissam.

243. CVLTVS DISTING.] Non ergo antè? non ita vulgò. Nam etsi toga ciuium propriè erat; tamen plerique tenuiorum tunicati cursitabant, id est veste seruili. Rara inquam tunc, nisi honestioribus, toga. adeò vt in Glossis legas, Συγκλητικὸν φόρημα, Toga: id est, Vestis Senatoria, toga: quasi Senatorum ea tantum. At in Dione crebrò Equestris habitus, pro eadem: de quo alibi dicendum. Sed adde etiam, Senecam vniuersè loqui de liberis, non de ciuibus modò:

itaque horum sententia quarebat notam seruis dandam, quâ à toto illo genere diuiderentur. Tale Alexander Severus Imp. in animo habuit, omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus seruis, vt in populo possint agnosci. Lampridius.

244. NVMERARE NOS.] Per paucos scilicet pro sua copiâ. atque ita periculum imminerebat, ne animos & manus tollerent in heros.

CAP. XXV. 245. LEONI LYSIMACHVM.] Idem libro III. De Ira, cap. xvii. Plinius VIII. cap. xvi. inclusum cum leone, Alexandri iussu, eumque strangulatum ab eo scribit: cui ferè assentitur Pausanias in Atticis. Adde & Iustinum libro xv. & Curtium libro VIII. qui tamen inclinât fabellam esse.

246. CONSEQUVNTVR.] Patiendi notione. Vnus tamen scriptus, consequuntur: è quo, conquiritur, facias.

247. SVFFLATV.] Scripti, si afflauit. Puto, suo afflatu.

248. BALLISTIS PETITVR.] Vt illa in Africâ, quam Regulus occidit: quò allusum.

249. VERBA DARE.] Fallere & latere.

S

250. MA-

& euadere pusilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnus æger nec domum quidem A perturbat: at vbi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conclamatio ciuitatis, ac fuga est, & diis ipsis ²⁵⁰ manus intenduntur. Sub vno aliquo tecto flamma apparuit: familia vicinique aquam ingerunt. at incendium vastum, & multas iam domos depa-
 XXVI. stum, parte vrbis obruitur. Crudelitatem priuatorum seruiles quoque manus, sub certo ²⁵¹ crucis periculo, vltæ sunt: tyrannorum, gentes populi que, & quorum erat malum, & hi quibus imminabat, exscindere aggressi sunt. Aliquando sua præsidia in ipsos consurrexerunt, perfidiamque, & ²⁵² impietatem, & feritatem, & quidquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse docuit? non diu ²⁵³ paret nequitia, nec quantum iubetur, peccat. Sed putat tam esse crudelitatem: quale eius regnum est? non aliud, quam captarum vrbium forma, & terribiles facies publici metus. Omnia mæsta, turbida, & confusa: voluptates ipsæ timentur. Non conuiuia secuta ineunt, in quibus lingua sollicitè ²⁵⁴ etiam ebriis custodienda est: non ²⁵⁵ spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quæritur. Apparentur licet magnâ impensâ, & regis opibus, & ²⁵⁶ artificum exquisitis nominibus: quem tamen ²⁵⁷ è ludo in carcerem ire iuuat? Quod istud, dii boni, malum est, occidere, sæuire, delectari sono cathenarum, & ciuium capita ²⁵⁸ decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? Quæ alia vita esset, si leones vrsique regnarent? si serpentibus in nos, ac ²⁵⁹ noxiissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, & tuta est etiam ²⁶⁰ inter feras similitudo: apud homines tantum, nec à ²⁶¹ necessariis quidem rabies temperat sibi, sed externa suaque in æquo habet, quò possit exercitior à singulorum cædibus, deinde in exitia gentium serpere. Et iniicere tectis ignem, ²⁶² aratrum vetustis vrbibus inducere, potentiam putat: & vnum occidi iubere aut alterum, parum imperatorium credit: nisi eodem tempore grex miserorum ²⁶³ subiectus stetit,

250. MANVS INTENDVNTVR.] Per iram, & ut in iurgio. queruli scilicet, quòd dicitur ita sæuiant.

CAP. XXVI. 251. CRVCIS.] Quæ seruilis pæna, ut docui De Cruce.

252. IMPIETATEM.] Pro inclementiâ. ut contra Pietas, illius aut scriptoribus, pro Clementiâ.

253. PARET.] Scripti, apparet: nec displicet, quia de apparitoribus sermo.

254. ETIAM EBRIIS.] Exemplum De Benef. III. cap. XXVII.

255. SPECTACVLA.] Ad Caligulam hoc spectat, qui infensus turbæ aduersus studium suum fauenti, exclamauit, Vtinam populus Rom. vnâ certicem haberet! & è plebe multas, etiam ex honestioribus quosdam, ob tales causas, bestiis aut gladiis obiecit. Similia Domitianus postea, & quemdam patrem familias, detractum è spectaculis in arenam, canibus obiecit: quia Thracibus sauebat. Hæc Suetonius: & eadem de re Plinius, Laudatione: Nemo spectator spectaculum factus (ut nempe sub tyrannis) miseras voluptates vnco & ignibus expiauit.

256. ARTIFICVM.] Scenicorum, siue Histrionum.

257. È LVDO IN CARC.] Imò in arenam aut mortem hercle, non in carcerem. Itaque videsis mei, & quorundam Gruteri librorum, scriptionem: quem tamen ludi in carcere iuuent? Alij, ludere in carcerem. Nostrum illud placet, hoc sensu: At quem iuuent ludi, velut in carcere, editi? quia Amphitheatrum illud ibi clausos habebat (nec vel exitus

securus erat, ne spernere videreris) & expectantes C quàm mox, ad nutum Principis, abriperentur ad mortem.

258. DECIDERE.] Agendi notione, abscindere, amputare.

259. NOXISSIMO.] Ita supra obnoxior: & idoneor, industrior, ac plura alibi, præter tritum vsum. Tamen in plerisque scriptis est, noxiosissimo: nec id malè.

260. INTER FERAS.] Plinius, lib. VII. Leonum feritas inter se non dimicat, serpentium morsus non petit serpentes: nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diuersa genera, sæuiunt. Horatius:

Nec hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar, feris.

261. NECESSARIIS.] Cognatis, affnibus.

262. ARATRVN.] Mos in euertendis vrbibus olim: & sicut aratro condebantur, ita eodem significabant exscindi. Modestinus 1^{us}: Si vsusfructus ciuitati legatus, & aratrum in eam inducitur, ciuitas esse desinit, ut passa est Carthago. ideoque, quæ morte, desinit habere vsusfructum. Horatius:

— & altis vrbibus vltimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

263. SVBIECTVS STETIT.] Velim cum Grutero, sub icu. Quæ locutio de Benef. II. cap. XXIX. & Consol. ad Marc. cap. IX.

A crudelitatem suam ²⁶⁴ in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis salutem dare, & ad vitam ab ipsâ morte reuocare, & mereri clementiâ ²⁶⁵ ciuicam. Nullum ornatum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quàm ²⁶⁶ illa corona OB. CIVES. SERVATOS. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parva bello spolia. Hæc diuina potentia est, gregatim ac publicè seruare: multos autem occidere, & indiscretos, incendij ac ruinæ potentia est.

264. IN ORDINEM.] *Leges sibi datas, liberum & suum ius ereptum.*

265. CIVICAM.] *Intellige, coronam.*

266. ILLA CORONA.] *Quæ in vestibulo Caesarum, iam inde ab Augusto. Nam Senatus, inter alios honores, Consulatu eius sexto decreuit, καὶ τὰς δαφνὰς πρὸς τὴν βασιλείαν αὐτῆς προστίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν εἴφανον τὸν δρυῖνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ ὡς καὶ αἰεὶ τὰς τε πολέμους νικῶντι, καὶ τὰς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. Laurus ante regiam eius siue palatium poni, & coronam querceam super eas aptari. quod ideo decretum scilicet, quod & perpetuus hostium victor esset, & ciuium seruator. Ita Dio libro LIII. in actis anni DCCXXVI. Laureatæ igitur fores (in Consol. ad Polyb. cap. XXXV.) in signum victoriæ; Ciuica super eas corona, in clementia, & ob ciues bellis internis seruatos. Tiberius successor, quasi per modestiam (Suetonius cap. XXVI.)*

Ciuicam in vestibulo coronam recusauit. At Claudius (idem, cap. XVII.) naualem coronam, fastigio Palatinæ domus, iuxta Ciuicam fixit. Valerius II. cap. VIII. Ceterum ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi OB CIVES SERVATOS corona danda est. quâ postes Augustæ domus sempiternâ gloriâ triumphant. Sed & spolia ibi affixa simul. Ovidius III. Tristium:

— video fulgentibus armis

Conspicuos postes, rectaque digna Deo:
Et Iouis hæc, dixi, domus est. quod vt esse putarem,

Augurium menti quæna corona dabat.

Et mox:

Causa superpositæ scripto testata coronæ,
SERVATOS CIVES indicat huius ope.

Plura ibi, & de lauro. Adde Fastorum lib. IIII. in fine; itémque Numos priscos, in quibus & corona hæc, & inscriptio. Allusit Martialis lib. IX. epig. vlt.

